

[1076] antes del 4 de junio.

7

*García, obispo de Jaca, introduce la regla de san Agustín en la catedral de San Pedro de Jaca.*

GRUPO B:

B: ACH, 9-63, copia de principio del siglo XII.

GRUPO C:

C<sub>1</sub>: ACH, 2-111, copia carolina siglo XII.

C<sub>2</sub>: ACH, 2-115, copia carolina siglo XII.

C<sub>3</sub>: ACJ, copia carolina siglo XII.

C<sub>4</sub>: ACH, *Libro de la Cadena*, p. 401.

C<sub>5</sub>: AMJ, *Libro de la Cadena*, fol. 97-98 vuelto, copia del siglo XIV.

Ed. P. HUESCA, *Teatro histórico*, VIII, p. 452.

Ed. SANGORRIN, *El libro de la cadena*, p. 63.

Ed. DURAN GUDIOL, *La Iglesia en Aragón*, apénd. 5, p. 174, a quien sigo.

Ed. DURAN GUDIOL, *Colección Diplomática*, I, núm. 39.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hec est carta et confirmatio quam ego Garsias, gracia Dei Aragonensium episcopus, facio por anime mee remedio et parentum meorum, necnon predecessorum successorumque meorum salute. Considerans namque ecclesiasticum ordinem omnino fere ab statu rectitudinis et norme apostolice institutionis defluxisse tum episcoporum sua diligencium et non Christi negligentia tum simoniace heresis pestifera instantia, decrevi ab ecclesia a Deo michi comissa clericorum ritu secularium viventium mores extirpare et ecclesie bonis per proprias domos divisus veluti propriis et privatis turpiter utentium<sup>1</sup> effrenatas licentias coibere, ne si subiecti pereant iudicium et de lingua mutescente cum noverim anime incurram periculum.

Statui igitur prout sancti Romani pontifices decrevere et beatus Augustinus ceterique sancti patres instituere, ad honorem Dei et sancti Petri apostolorum principis in Iaccensi ecclesia congregare clericos iuxta apostolicam traditionem comunem vitam ducentes, et nullius proprii participatione fruentes, nichilque suum credentes, sed omnia in comuni habentes, secundum regulam sancti patris nostri Augustini solo victu et tegumento gaudentes<sup>2</sup>. Proinde rectum mihi visum est de bonis ecclesie tantum illis conferre unde eis necessaria ministretur, ne murmuratio ex penuria inter fratres oriatur et canonice regule studium necessariis deficientibus deseratur.

Do itaque et concedo atque corroboro ut que iuris sint episcopalis

tam in quartis quam in alodiis ab ipso ortu Aragonis Subordani quosque impellit alterum Aragonem, tam in planicie quam in montanis, usque ad portus Pirineos, et ab ipso altero Aragone, et a villa que dicitur Alastue, cum Sancta Cruce et cum tota valle de Atares et cum tota valle de Avenna, usque ad pontem de Arrapune, usque ad montes Gallie, cum tota Tena, ab ipso Aragone Subordano et a villa que Alastue nominatur, cum supradictis vallibus, usque ad Gallicum flumen, quicquid iuris est episcopi, sicut dividunt Pirenei montes do et ilari vultu mentisque certa devotione concedo prefate ecclesie canonice ibidem Deo servientibus et canonice vitam ibi, secundum sancti Augustini regulam ducentibus.

Iacent autem infra supradictos terminos<sup>3</sup> Sasave, cum villis suis, vineis, campis, vallibus, silvis, montibus; Laures, cum villis suis, terris, vineis, vallibus, silvis, montibus; Lirde, cum terris suis, vineis, vallibus, silvis, montibus; Sanctus Salvator de Septemfontibus, cum terris suis, vineis, vallibus, silvis, montibus, molendinibus. Omnia supradicta prefate ecclesie canonice do et in comune certa confirmatione trado.

Do etiam predictis canonice in comune extra predictos terminos in Valle ecclesiam Sancti Salvatoris de Arravaga, cum omnibus sibi pertinentibus, villis, terris, vineis, vallibus, silvis, montibus, et insuper quicquid iuris est episcopi ab ipsa ecclesia usque ad montes Gallie per omnes ecclesias, cum valle que dicitur Bardeveu<sup>4</sup> et in Buil de Suprarbi quicquid ad ius pertinet episcopi<sup>5</sup>; ecclesiam in villa que dicitur Ariis, alias in villa que Auguero dicitur<sup>6</sup>; do quoque Agineto. In omnibus his que iuris sunt episcopi canonice Sancti Petri Iaccensis ecclesie do et ex integro trado.

Concedo quoque et corroboro eisdem canonice decimam tolonei regalis de Iaca atque decimam tributi regalis de Ispania, et totam almutagenam de villis Ispanie.

Quicquid etiam in Luar iuris est episcopi, cum domibus quas ibi nuper edificavi, eisdem canonice trado.

Hec omnia ego Garsias, gratia Dei Aragonensium episcopus, Ranimiri regis filius, Sancii regis catholici frater germanus, trado atque sub certa stipulatione corroboro, eiusdem fratris mei regis devotissimi religiosa voluntate atque iussu in comune clericis in Iaccensi ecclesia canonice vitam ut sancti Augustini ceterorumque sanctorum patrum instituta monent ducentibus, et si forte quod absit aliquis successorum meorum hec infringere temptaverit, convenient canonici regem et maiores terre et ibi agatur causa illorum. Si vero rex et episcopus in malum consenserint, adeant Romanum pontificem et prout ipse iudicaverit firmiter teneatur. Denique quecumque persona hec disrumpere tempta-

verit, nisi resipuerit et canonice emendaverit, divine ultione sumissus anathematis vinculo constringatur, et ut Iudas eternis supliciis depupatus omni christianorum consortio privetur.

Ego quoque Sancius Aragonensium rex, cupiens servorum Dei fieri servus, cognita hac institutione plurimis sancte scripture documentis certissimo mentis affectu quecumque superius confirmata et digesta per fratrem meum Garsiam episcopum superius esse noscuntur, confirmo et corroboro amodo in comune conferenda clericis in Iaccensi ecclesia canonice vite statuta tenentibus. Quis enim non doleat ecclesiastice religioni ad nichil fere redacte audita apostolica institutione et aliorum sanctorum patrum frequentissima ammonitione? . Valde namque dolendum arbitror fidelibus, cum vota fidelium redemptionem peccatorum video distrai per manus qui nec communis vite regulam diligent, nec orationis studio inserviunt, nec ecclesiasticorum prediorum fructus, nec decimas, nec fidelium oblationes saltim iuditii timore pauperum manibus dividunt, sed velut propria patrimonia non ex ereditate Domini venientia in proprios usus superflue convertunt. Cum enim recolo tribum Levi inter alias nulla a Domino hereditate fuisse donatam, sed de fratrum libaminibus debere vivere et ea assidue orationis instantia redimere debere et cum primitiva ecclesia sub apostolis, et post per plurima tempora sanctorum virorum studio comunem vitam clericorum solum Christum querentium valde floruisse comperio, vehementi dolore afficior, sed tamen in memetipso respiro cum ecclesiastici ordinis honestissimas institutiones et sanctorum patrum frequentissimas ammonitiones iam dudum pessimorum studio destitutas per bonorum ardorem, video restitui et pravis moribus derelictis iustas conspicio exquiri. Unde rebus presentibus et futuris perspectis canonicis in Iaccensi ecclesia regulariter viventibus quecumque collata sunt per fratrem meum Garsiam episcopum, ut superius iam retulimus concedimus et corroboramus. Denique quecumque iuste habent tempore presenti et iuste adquisituri sunt, habeant et inconcussa in comune possideant et si quid nefas esse dicimus aliqua persona hec in quolibet minuere voluerit, nisi a canonicis supradictis amonitus emendaverit, quod illicite usurpaverit, duppliciter restituat coactus quod simpliciter emendare noluit amonitus nisi a canonicis misericorditer fuerit dimissus.

Ego Garsias, gratia Dei Aragonensium episcopus, hec supradicta scribi iussi et hoc signum [*signo*] manu mea feci.

Ego Sancius, gratia Dei Aragonensium rex, hec supradicta scribi iussi et hoc [*signo*] signum manu mea feci.

Ego Petrus, filius Sancii Aragonensium regis, filii Ranimiri regis, hec  
supradicta scribi volui et hoc signum [*signo de Pedro I en caracteres  
arábigos*] manu mea feci<sup>7</sup>.

1 vertentium, corr. C. 2 solo victu et tegumento gaudentes, om. C. 3 ter-  
minos] Siresia, cum villis suis, vineis, campis, vallibus, silvis, montibus, add.  
C. 4 et in Alchezar, add. C. 5 Similiter etiam in villis Aguero et Morello  
quicquid ad ius pertinet episcopi, add. C. 6 aliam in villa que Auguero dicitur,  
om. C. 7 *La tres confirmaciones que anteceden están en mayúsculas en B; en  
C, los signos de validación no han sido puestos, estando en blanco.*